

canonicos proponit? Quis eorum dicta, ut credenda solum, non ut probantia, et ratione, discursuque persuadentia acceptari cogit? Accipiat ergo Div. Thomas quod vel auctoritate divina, vel probabili ratione persuadet, et inter probabiles discursus, et probatiores, quia ita ab Ecclesia commendantur, et approbantur, ut vidimus.

Locus S. Augustini ex epistola VII ad Marcellinum non cogit, dicit enim sic: « Vos qui me multum diligitis, si talem me asseritis adversus eos quorum malitia, vel imperitia, vel intelligentia reprehendor, ut me nusquam scriptorum meorum errasse dicatis, frustra laboratis, non bonam causam suscepistis; facile in ea me ipso iudice superamini, quoniam non mihi placet quando a charissimis meis talis esse existimor, qualis non sum. » Nos ergo, qui pro summa felicitate optaremus inter S. Augustini non dico charissimos, sed vel minimos servos reputari, in primis tam insignem sanctissimi doctoris modestiam quam multum instruimur, admirantes, dicimus S. Augustinum loqui in illa epistola ante quam suas ederet retractationes, ut aperte paulo ante illa verba dixerat; tunc autem post S. Augustinum ab S. Augustino correctum, et retractatum, post librorum ejus a Cœlestino I laudatam pietatem, post commendatam doctrinam ab Hormisda, a Joanne II, ab universa Ecclesia, defendendo ipsum ab omni errore, non jam existimamus ipsum esse qualis ipse non est, sed qualem illum nobis exhibet Ecclesia: Quem nunquam falsæ suspicionis rumor aspexit. Idem de fidelissimo ejus discipulo S. Thoma asserimus: Qui sine ullo prorsus errore scripsit, Sede Apostolica testificante.

## ARTICULUS V.

*Quem inter cæteros libros summa D. Thomæ locum dignitatis habeat.*

Vix de hac re dubium aliquod esse posset, si sola traditione communiter acceptata vellemus esse contenti. Etenim communis traditio est D. Thomam summam theologiam, ultimo vitæ suæ tempore composuisse, eamque quasi ultimum doctrinæ suæ testamentum delegasse, libros vero sententiarum illustrasse commentariis cum ad magisterii lauream Parisiis legeret, sicque doctorem se ipso factum, in aliquibus summæ locis meliorasse sententias. Ut Cajetanus notat multis in locis præsertim III p. qu. VI, artic. VI, in calce commentarii Ferrariensis, III contra gentiles, cap. CII §. Ad argumentum autem, Petrus Bergomensis in concordantiis tabulæ aureæ, Possevinus in apparatu D. Thomæ de Aquino, et constat ex ipsa historia vitæ ipsius affixa in initio operum ejus, et ex omnibus fere commentatoribus, ac discipulis. Denique, quidquid sit de ordine temporum in disponendis, et edendis libris, tamen hunc librum summæ theologice, primas sibi vindicasse, et maximam conciliasse inter omnia opera D. Thomæ auctoritatem apud sapientes, et insipientes ita notissimum est, ut otiosum sit in probationem id deducere, ut proinde oleum, et operam manifeste perdant, quicumque tam fundatam in omnium animis sententiam revellere nituntur. Ut autem eorum dubiis, seu scrupulis satisfaciamus, et veritatem firmemus.

Sciendum est, huic dubitationi ansam præbuisse Vincentii Bellovacensis scriptum, quod speculum mortale inscribitur, in quo omnia fere, quæ de virtutibus, et vitiis tractat D. Thomas 1-2 et 2-2 et eodem ordi-

ne, ac stylo inveniuntur, etsi magis in compendium articuli sint redacti, Vincentius autem præcessit tempore D. Thomam et sic videtur D. Thomas ab eo mutuasse illam partem. Quod si hoc durum videtur, et potius asserendum est Vincentium mutuasse a D. Thoma necessario infertur D. Thomam nimis juvenem composuisse suam summam, ut posset a Vincentio videri. Vidit hanc difficultatem primus, ut opinor, Fr. Franciscus Garcia in correctione partium S. Thomæ ad finem, ubi affirmat apertissimum esse, D. Thomam a Vincentio mutuasse fere omnia, quæ ad illas partes spectant, eo quod ut ipse existimat, Vincentius obierit anno 1240, D. Thomas autem triginta quatuor annis post scilicet 1274. Non potuit autem D. Thomas cum obierit quinquagenarius edere suam summam ante obitum Vincentii. Eandem excitavit dubitationem cardinalis Bellarminus, libro de scriptoribus ecclesiasticis in D. Thoma, cumque adduci non possit, ut credat D. Thomam a Vincentio mutuasse, sentit non illud speculi moralis a Vincentio Bellovacensi, sed ab alio Vincentio juniore fuisse editum. Et consentire videtur Bzovius, anno Christi 1250, ubi agit de obitu Vincentii. Alii vero dixerunt absolute D. Thomam prius composuisse suam summam, deinde senem in quatuor libros sententiarum scripsisse. Ita insinuat auctor elucidarii Deiparæ in defensione Cantabrica oblata sanctissimo domino nostro, fol. 162, licet ipse id non sequatur, sed tamquam aliorum opinionem referat. At pro ista opinione stat Shirlogius in anteloquiis Canticorum, anteloquio II, sect. III, n. XIV.

Nihilominus duo in hac parte mihi dicenda videntur. Primum, non scripsisse D. Thomam suam summam priusquam commentaria in

libros sententiarum. Secundum, potuisse optime Bellovacensem speculum suum morale conficere ex his quæ D. Thomas posuit in 1-2 et 2-2 suæ summæ, eamque vidisse.

Prima pars constat argumento evidenti, et ut tale iudicatum est ab ipso auctore elucidarii in defensione illa supra relata, pag. 164, § Tandem manifeste. D. Thomas in summa expresse affirmat se retractare id quod alibi scripserat, et senserat loquens de præterito, et hoc invenitur scriptum in sententiis, et non alibi, ergo scriptum sententiarum prius tempore fuit, quam summa. Consequentia est manifesta, quomodo enim potuit retractare rem jam scriptam de præterito, si illam scripsit postea. Antecedens manifestum est, nam in primis III p. qu. IX, art. IV loquens de scientia acquisita animæ Christi, dicit doctor sanctus: « Et ideo quamvis aliter alibi scripserim, dicendum est in Christo fuisse scientiam acquisitam. » Hoc autem alibi ita scriptum, extat in III sentent. dist. XIV, quæst. III, artic. III nec alibi ita reperitur. Item III par. quæst. LXX, art. ubi refert opinionem dicentem quod gratia collata in circumcissione non valebat ad resistendum omni concupiscentiæ: Quod etiam, inquit, aliquando mihi visum est, sed diligenter consideranti apparet hoc non esse verum, etc. » Hoc autem sibi visum est in quarto dist. I, quæst. II, art. IV. Item I p. quæst. XXXVI, art. IV, ad VII relata opinione, quam secutus fuit in primo dist. XI: quod Pater, et Filius sunt duo spiratores, et non solum duo spirantes, rejicit illam, dicens: « Sed melius videtur dicendum, quod sunt duo spirantes, sed non duo spiratores. » Item in tertio dist. XXXIV, quæst. I, art. II distinguit inter dona Spiritus Sancti quæ sunt in intellectu, quod alia perficiunt partem speculativam, ut

intellectus, et sapientia, alia partem practicam, ut consilium, et scientia, quod etiam docuit 1-2, q. LXVIII. At vero 2-2, quæst. VIII, art. VI id retractat, dicens: « Sed diligenter intuenti, donum intellectus, non solum se habet circa speculanda, sed etiam circa operanda. Et ideo oportet aliter eorum distinctionem accipere, etc. » Unde patet, quod secunda secundæ, non solum post sententias, sed etiam post primam secundæ fuit scripta.

Ad hæc, libros sententiarum interpretatus est D. Thomas, cum pro gradu magisterii legeret in universitate Parisiensi, cum esset baccalaureus, et pro forma, et gradu magisterii legeret. Antequam vero Parisiis legeret sententias, non potuit summam componere quia missus est Parisios e Colonia, ubi erat Alberti Magni auditor ex ipsius Alberti præscripto, et Hugonis cardinalis, ut videri potest in historia vitæ ejus præfixa in operibus Romæ impressis jussu Pii V et in historia Guillelmi de Thoco, apud Porreeta super III p. Tunc autem erat adhuc discipulus Alberti, et valde juvenis, nam magisterium accepit anno ætatis viginti quinque et ante magisterium jam legerat in baccalaureatu super quatuor libros sententiarum, ut in prædictis historiis dicitur. Hæc autem probatio, quæ in historiis antiquis nititur, magnam habet vim, nec potest tam levi fundamento elevari sicut habent auctores oppositi, qui solum nituntur illo argumento deducto ex speculo morali Bellovacensis, quod quam infirmum sit, statim ostendemus. Nam quod alii ad hoc moventur, ut possint dicere D. Thomam retractasse in primodist. XLIV quod circa contractionem peccati originalis in B. Virgine dixerat III p. quæst. XXVII, est valde pueriliter fundare gravissimam sententiam de immaculato conceptu,

et a re incertissima tantæ molis fundamenta exigere. Sequenti tamen disputatione D. Thomam sensui Ecclesiæ in hac parte non obviasse ostendemus.

Denique, ipse stylus, gravitas, maturitas methodusque admirabilis summæ theologiæ aperte clamant eam fuisse maturioris mentis partem, qui tam solide, graviter, ac resolutorie de omnibus judicium ferat. Totum ipsum opus adeo augustioris styli est, ut cum sententiarum collatum videatur sol inter medias stellas emicare. Nec minus ponderat, quod si D. Thomas in juniore ætate summam confecisset, non ita relinqueret imperfectam in ultima sui parte, quam tamen morte præventus perficere non potuit. Quod enim dicunt aliqui D. Thomam licet juvenis cœpisset summam componere, tamen postea ob gravissima munia impeditus, absolvere non potuit, sicut alia multa imperfecta reliquit, ut in Psalmis, in libris perhermen. etc. Sed tamen mirum est quod illa gravissima munia, non impediunt commentaria in quatuor libros sententiarum, quos dicunt elaborasse post summam, nec impediunt libros contra gentiles, et expositionem in epistolas Pauli, et catecham auream, quam Urbano IV dicavit et solum impediunt gravissimi operis, et toto mundo celeberrimi ultimam manum in paucis quæstionibus quæ defuerant. Quis hoc credat? Denique, supplementum pro III p. confectum est ex scripto super quartum sententiarum a Petro de Alvernia discipulo s. doctoris, ut refert Bartholomæus de Luca in historia, quæ habetur in bibliotheca Vaticana, lib. XXIII, c. XI, et licet eisdem verbis constet quibus quæstiones, et articuli super sententias, non tamen parem auctoritatem habet cum summa. Si autem super sententias scripsisset jam senex, et

post scriptam summam, sine dubio majoris auctoritatis esset supplementum, quam summa ipsa. Quare hoc ex prædicta opinione non modici periculi damnum sequitur, quod cum in communi omnium scholarum, ac doctorum acceptatione minoris auctoritatis sint libri sententiarum quam summa, si modo divulgaretur summam esse scriptam ante sententias, inferioris auctoritatis maneret summa, ac per hoc valde imminueretur in omnium opinione D. Thomæ dignitas, et auctoritas.

Dices: Durandus citans aliquando, et refutans opinionem D. Thomæ citat ipsum in sententiis, et non in summa, ut patet in quarto dist. XLIX, qu. II, quod non esset si ipsa summa majoris esset auctoritatis, et non liber sententiarum, debuisset enim Durandus ex illo loco citare, ubi majus esset robur, et auctoritas. Respondetur hoc nihil convincere, quia fortasse id quod refutabat Durandus expressius, aut latius in loco sententiarum posuerat Div. Thomas quam in summa, et ideo inde citat ipsum; aut si eodem modo tractaverat in uno loco atque in alio, ut sæpe accidit, perinde fuit Durando citare ipsum ex uno loco, quam ex alio: aut quod verius puto, licet summa esset majoris auctoritatis, tamen tunc nondum legebatur in scholis, neo pro textu theologico recepta erat, sicut postea processu temporis; solum autem in scholis legebatur Magister sententiarum; unde ex commentariis in ipsum desumebat auctoritates quas citabat Durandus, potius quam ex summa, licet eadem in summa continerentur.

#### DE VINCENTIO BELLOVACENSI.

Pendet fere tota difficultas ex determinatione temporis quo obiit Bel-

lovacensis. In quo facilius est scire quando non obierit, quam præcisum articulum temporis mortis ejus designare, in quo vix aliquid certi potest ex auctoribus colligi, tamen fere certo videtur mihi colligi posse, ipsum vidisse scripta D. Thomæ ita ut ex illis potuerit suum morale speculum elaborare.

Primo igitur certum est ipsum non obiisse triginta quatuor annis ante Div. Thomam, id est, anno 1230, in quo valde lapsus est ille Franciscus Garcia forte errore ducto ex eo quod Trithemius dicit in libro de ecclesiasticis scriptoribus agens de Vincentio: « Claruit sub Frederico II, anno 1240. » Sed aliud est claruisse, aliud obiisse. Similiter certum est non obiisse anno 1250, ut ponit Bzovius. Utrumque contra Garciam, et Bzovium evinco ex ipsa historia Bellovacensis, nam in speculo naturali, lib. XXXII, cap. CI refert canonizationem S. Petri martyris, anno 10 Innocenti IV. Is annus est 1253, quomodo ergo potuit mori Bellovacensis anno 1250 et multo minus decem retro annis? Similiter in lib. XXXI, capit. CII mentionem facit pacti S. Ludovici regis cum Saracenis, ut liber ab oriente dimitteretur, quod contigit anno 1250 ut ibi dicitur, et statim etiam narrat canonizationem S. Petri martyris: ergo non obiit illo anno quo ponunt Garcia et Bzovius. Nec potest dici hoc fuisse adjectum ipsi speculo naturali, non ab ipso Vincentio factum: contra enim est, quod licet speculum historiale sit prorogatum longe ultra tempora Bellovacensis ab aliquo alio auctore, tamen speculum naturale non constat ab aliquo esse auctum; hæc autem quæ diximus ex naturali speculo citata sunt, non ex historiali.

Jam vero quo anno obierit, mirum quantum auctores varient. Cardinalis Bellarminus ex Antonio Sen-

nensi, et Vasæo ad annum 1256 assignat. Alii ad annum 1261 ut historia pontificalis Hispana in Urbano IV. Alii existimant obiisse anno 1263, ut Ferdinandus Castellus, I p. historiae ordinis Prædicatorum, lib. II, cap. xcvi; Albertus Castellanus in chronico, cap. VII; Jacobus de Susato in chronico, quos citat Fr. Alphonsus Baptista in sua apologia, fol. 114 et videri potest Fr. Alphonsus de Ribera, in historia sacra eucharistiæ, tractatu ultimo § xv. Alii etiam D. Thomæ supervixisse putant, id est, ultra annum 1274 quo doctor sanctus obiit. Quod referunt, nec improbabiler dici suspicantur theologi Vedastini in nova impressione Bellovacensis, Duaci 1624, in examine sententiæ Bellarmini. Sane Bellovacensem ad minus pervenisse ad annum 1260 illud argumento est, quod ipse ad Ludovicum regem scripsit consolatoriam epistolam super morte primogeniti sui, quam inter ejus opera recenset breve chronicon magistrorum generalium ordinis Prædicatorum, quod habetur post constitutiones ejusdem ordinis, et Fr. Ferdinandus de Castillo ubi supra. Mortuus est autem primogenitus S. Ludovici anno 1260, id est, anno 5. Alexandri IV ut constat ex ipsius Pontificis epistola XXVI ad prædictum regem super eadem morte, ut refert Bzovius anno 1260, num. XII. Pervenit ergo ad annum 1260, et probabile satis est ad annum 1264 pervenisse, aut etiam ultra.

Ex his deducitur potuisse optime Bellovacensem accipere ex scriptis D. Thomæ super 1-2 et 2-2 quod in suo morali speculo inservit, cum inveniamus ipsum virum decem annis ante obitum s. doctoris, vel quatuordecim. At ipses doctor non statim ultima consummatione perfecit totam summam, sed potuit disponere, et præparare diu etiam ante obitum suum; et præsertim illa quæ pertinent

ad 1-2 et 2-2 quæ omnem tractatum moralem comprehendunt, et singulari ordine a D. Thoma contexta, etiam longo ante mortem suam tempore præparasse videtur. Unde potuit ea obtinere Vincentius, etiam antequam ultima manu consummarentur, et sic transferre ad suum morale speculum, cujus rei indicium est, quia licet aliqua in Bellovacensi eodem ordine apud D. Thomam inveniantur scripta, tamen non eadem perfectione; desunt enim argumenta, et multum etiam de ordine transmutat, nam de virtutibus agit post tractatum de gratia, D. Thomas autem egit ante. De donis etiam tam in communi, quam in particulari non eo loco, et ordine agit quo D. Thomas et denique magis compendiando doctrinam articulo referat quam plene deducendo, et resolvendo. Sane Vincentius in speculo naturali, lib. XXVI in multis capitibus citat ipsum Thomam Aquinatem suo proprio nomine, et transcribit ea quæ doctor sanctus habet in quæstione XI de veritate, et quæstione XII et quæstione XIII de rapto, quæ quæstiones videntur a Div. Thoma, elaboratæ cum jam maturioris esset ætatis, ut ipsius styli gravitas, et plena resolutio demonstrant. Cum ergo videatur probabile, Vincentium prius edidisse speculum naturale, quam morale, quia eo ordine opera ipsa Vincentii disposita sunt, ut prius sit naturale speculum quam morale, quod est ultimum inter ejus opera, habuit utique Bellovacensis ipse tempus ad videndam 1-2 D. Thomæ et 2-2 saltem in sui prima contextura, et dispositione, sicut ad componendum speculum naturale, quod fuit ante morale, habuit scripta D. Thomæ ex illis quætionibus de veritate citatis, quæ etiam videntur scripta posteriori ætate D. Thomæ sicut summa, præsertim in 1-2 et 2-2. Itaque datur

sufficiens tempus, ut decem annis ante obitum D. Thomas sic dispositam haberet hanc partem suæ summæ ut posset videri a Bellovacensi in ea forma, et modo imperfecto quo ab ipso in speculum redacta est, licet non in ea perfectione, quo postea a s. doctore consummata est. Denique, fortissimum mihi iudicium est Bellovacensem ex D. Thomam sumpsisse, non e contra, quia cum D. Thomas 2-2, quæstio. VIII, artic. VI retractet id quod dixerat 1-2, quæst. LXVIII de distinctione donorum Spiritus Sancti quod donum intellectus pertinet ad partem speculativam et practicam non ad speculativam tantum, ut dixerat in 1-2, eodem modo apud Vincentium ponitur in lib. I, tract. IV, nam dist. I loquitur sicut D. Thomas in 1-2 et distinct. VI agens de dono intellectus, eodem modo id retractat sicut apud D. Thomam 2-2. Non est autem verisimile, quod si D. Thomas hoc accepisset a Vincentio, videns retractatum id quod paulo ante dixerat circa donum intellectus non id emendasset quando scripsit primam secundæ. Ergo Vincentius qui pure transcribebat, ita accepit ex Div. Thoma, ut apud ipsum est, quia ipse non ut doctor sicut D. Thomas, judicando de doctrina, sed ut compilator, et transcriptor sicut D. Thomas invenit transcripsit.

Unde non est necessarium dicere, speculum istud morale ab alio Vincentio posteriori, et non ab ipso Bellovacensi fuisse confectum, ut putarunt Bellarminus, et Bzovius supra relati, cum ostensum sit, ipsum potuisse adhuc suo tempore videre partem hanc D. Thomæ licet non perfectam, et plene consummatam. Videri possunt, quæ afferunt theologi collegii Vedastini in novissima impressione Bellovacensis Duaci 1724 in initio operum, seu in I tomo.

Solet etiam in dubium revocari de certitudine ipsius summæ theologicæ, eo quod sæpius emendata, correctata et restituta sit, nec tamen adhuc omnibus mendis sit expurgata. Ubi autem tot emendationes, additiones, detractiones, circumcisiones fiunt, nutat fides exemplarium quæ habemus: unde enim nobis constare potest, quæ sint legitima exemplaria, cum non potuerit tanta diligentia omnia in integrum castigare? Quod vero multa loca sint variæ, et dubiæ lectionis auctor elucidarii accumulata præsertim 916 et 918 et 922.

Nihilominus, hæc objectio omnino inutilis est, cum potius nullum sit majus iudicium certæ et exploratæ doctrinæ, et commendationis librorum, quam periculo tot depravationum subjacere, communiter enim illi libri pluribus depravationibus patent, qui plurium manibus teruntur, et pluries prælo mandantur. Quot loco restituta, emendata, et correctata sunt in Tertulliano per Pamelium, per Rhenanum et alios; in Cypriano per Pamelium; in Hieronymo per Marianum Victorem; in Augustino a theologis Lovanensibus; in Damasceno per Jacobum Billium, et aliis multis per alios? Et fere nullus antiquorum scriptorum est, qui hac locorum castigatione, et emendatione non indigerit. Quam multa in ipsis bibliis emendata, restituta, correctata in ipsa vulgata editione jussu Sixti V, et Clementis VIII, reformata, quæ loca diligenter annotavit Franciscus Lucas, præter multa alia, quæ a temporibus antiquis in versione septuaginta irrepserant, et a Sixto V emendata sunt? Si hæc omnia a sua excidunt auctoritate ex erratis et mendis quibus vel temporum, vel hominum malitia libri etiam sacri depravantur, ergo et patres, et scriptura ipsa ad hæc usque tempora

quando correctæ sunt, auctoritate caruerunt. Et tamen huic posse subiacere periculo etiam Scripturas ipsas Apostolus Petrus nos admonet in sua canonica, capite ultimo dum dicit: *Quædam esse in epistolis Pauli, quæ instabiles et indocti depravant ad suam ipsorum perditionem sicut et cæteras Scripturas.* Nec tamen ex istis depravationibus perit, aut diminuitur Scripturæ auctoritas, quia ubi errata, vel mendosæ depravationes subrepunt, diligentia humana supplet per collationem exemplarium correctorum, quæ semper in Ecclesia manent. Et idem est de libris patrum, et sacrorum doctorum, nam licet diversis erratis aut mendis depraventur, semper manet unde a doctoribus id corrigi possit per collationem exemplarium probatorum, aut ex discursu, et sic nihil restat periculi. Hoc idem in summa D. Thomæ contigit, quæ vel incuria amanuensium, aut negligentia, vel malitia typographorum, aut hæreticorum non paucis mendis respersa est, sed a piis, et doctis viris semper procuratum est, ut suæ fidei redderetur. Qua de re Hieronymus Uvielmus, lib. II, de doctrina D. Thomæ testatur se auctore, generalem ordinis Prædicatorum Stephanum Ususmaris convenisse Venetiis typographum coram nuntio apostolico super impressione D. Thomæ quæ pluribus mendis depravata ab ipso erat. Nec tamen adhuc affirmare possumus omnibus numeris absolutam emendationem D. Thomæ factam esse. Tanta est humanæ providentiæ infirmitas, et incertitudo. Nam et ipsam vulgatam Scripturæ editionem, quæ a Romanæ Sedis Pontificibus summa diligentia procurata est, nec omnibus numeris absolutam prodiisse, ipsa ejus præfatio in initio affixa declarat. Hoc tamen nihil de auctoritate

diminuit, cum ea quæ oculos emendantium effugiunt, ab aliorum discursu, et collatione adverti, et corrigi possint.

## DISPUTATIO.

DE PROPOSITIONIBUS ERRONEIS,  
QUÆ IN D. THOMÆ OBJICIUNTUR.

Sine ullo prorsus errore scripsisse Div. Thomam Apostolica Sedes per os Clementis Papæ VIII, nos securos, ac certos reddit, ideoque in ejus defensionem acrius excitat, et inflammat, cum pro veritate nos pugnare, et justam causam tueri supplicante discamus. Accedit enim D. Thomæ doctrinæ, quod et doctrinæ S. Augustini, cujus ille fidelissimus sectator fuit, et discipulus, de qua S. Prosper in præfatione ad capitula Gallorum sic inquit: « Doctrinam quam sanctæ memoriæ Augustinus episcopus contra Pelagianos inimicos gratiæ Christi, et liberi arbitrii decomptores per multos annos apostolice asseruit, litterisque mandavit, quibusdam visum est, aut non intelligendo aut intelligi eam nolendo, reprehendere. Et hoc quasi compendium cognitionis, his qui iudicio eorum ducebantur afferre, ut quæ in libris prædicti viri damnabilia reperisse jactabant, brevium capitulorum indiculis prædicarent, talique commento, et detestationem ejus quem impeterent, obtinerent et ab his quæ infamassent, curam exterriti lectoris averterent. Ne ergo hanc persuasionem temere quis recipiat, et talem putet sensum scriptis catholici inesse doctoris, qualem eum qui frustra calumniantur, ostentant, singulis capitulis, quæ rationis titulo prænotantur, brevi et absoluta professione respondeo in

nullo recedens a tramite earum definitionum quæ in sancti viri disputationibus continentur, ut facile vel tenuis diligentia advertat inspector, quam injustis opprobriis catholici prædicatoris memoria carpatur, et in quod peccatum cadant, qui aliena instigatione commoti scriptorem celeberrimi nominis promptius habeant culpæ quam nosse. » Ita Prosper. Hæc ergo tota nostra causa est; pulsatus enim ab his quæ in D. Thomæ catholici doctoris, ac scriptoris doctrinam, et jactari audimus, et ab aliquibus jactari legimus, ne hanc persuasionem temere quis recipiat, et talem putet sensum scriptis ejus inesse, qualem istæ ostentant calumniæ, illis hac disputatione respondere conabor, et in quo auctore ea legerim insinuabo.

## ARTICULUS PRIMUS.

*Proponuntur, quæ in Div. Thomæ objiciuntur.*

Duplex propositionum genus in Div. Thomæ jactatur. Quædam ut erroneæ, aut indefensabiles, aliæ ut dignæ quæ deserantur, ut minus commodiores explicandæ fidei, et theologiæ, aut in scholis minus bene visæ.

## CIRCA PRIMUM GENUS.

Primo, objicitur quia in materia de conceptione Beatissimæ Virginis duo protulit D. Thomas quæ hodie sustineri non possunt. Alterum, quia affirmat esse erroneum dicere, quod aliquis præter Christum sit sine originali peccato conceptus. Quæ censura est expresse contra determinationem Sixti IV, Pii V, Concilii Tridentini et aliorum summorum Pontificum, qui declarant non esse e

erroreum dicere B. Virginem esse præservatam ab originali, et prohibent quæcumque censuram in oppositum. Quod autem id dixerit D. Thomas, constat ex 1-2, quæst. LXXXI, art. III. « Dicendum quod secundum fidem catholicam firmiter est tenendum, quod omnes homines (præter Christum solum) ex Adam derivati peccatum originale contrahunt, alioquin non indigerent redemptione per Christum, quod est erroneum. » Alterum quod protulit D. Thomas. est: « Quod quia ignoratur quo tempore B. V. fuerit sanctificata, celebratur festum sanctificationis ejus potius quam conceptionis. » Ita III p. quæst. XXVII, art. II. Hoc autem reprobatur est a Greg. XV, in peculiari decreto, quo prohibet nullo modo in officio divino utendum esse nomine sanctificationis, sed conceptionis.

Has duas propositiones ex D. Thomæ affert auctor elucidarii Deiparæ, lib. IV, tract. V, pag. 969, quasi ab aliis objectas. Et proferens iudicium de his pag. 973, dicit quod si doctor sanctus has propositiones docuisset, ejus auctoritas in hac parte esset debilitata per Sedem Apostolicam; sed auctoritatem relatam ex III p. dicit ex fraude, et corruptela irrepisse in textum D. Thomæ. In 1-2 vero illam censuram non esse D. Thomæ sed a nonnullis inique declaratam. Et D. Thomam solum damnare, id quod infert tamquam inconveniens scilicet aliquem non indigere redemptione per Christum, non vero errore notare quod aliquis sine peccato sit conceptus.

Secundo, objiciunt s. doctorem dixisse: « Quod vota simplicia non faciunt religiosum: » 2-2, qu. CLXXXIX, art. II, ad I. Nec censeri potest aliquis religiosus per vota simplicia, absque professione solemnium, nec censendus apostata, qui recidit, quod tamquam mentem D. Thomæ